

quantur remissionem peccatorum. Præterea necesse est retineri in Ecclesia Christi, Euangelium, hoc est, promissionem, q̄ gratis propter Christum remittuntur peccata, Id Euangelium penitus abolent, qui de hac fide, de qua loquimur, nihil docent. At Scholastici ne verbum quidem de hac fide tradunt. Hos sequuntur aduersarij nostri, & improbant hanc fidem. Nec vident se totam promissionem gratuita remissionis peccatorum, & iusticiæ Christi abolere improbata hac fide.

DE DILECTIONE ET IM- PLETIONE LEGIS.

HIC obijciunt aduersarij. Si vis in vitam ingredi, serua mandata. Item factores legis iustificabuntur, & alia multa similia de lege, & operibus ad quæ priusq̄ respondemus dicendum est, quid nos de dilectione, & impletione legis sentiamus. Scriptum est apud Prophetam, Dabo legem meam in corda eorum. Et Roma. iij. ait Paulus, legem stabiliri non aboleri per fidem, & Christus ait, Si vis ingredi in vitam, serua mandata. Item, Si dilectionem non habeam, nihil sum. Hæ sententiæ & similes testantur, q̄ oporteat legem in nobis inchoari, & magis magisque fieri. Loquimur autem non de ceremonijs, sed de illa lege, quæ præcipit de motib⁹ cordis, videlicet de decalogo. Quia vero fides affert spiritum sanctum, & parit nouam vitam in cordibus, necesse est, q̄ pariat spirituales motus in cordibus. Et qui sint illi motus ostendit Propheta cum ait, Dabo legem meam in corda eorum, Postq̄ igitur fide iustificati & renati
sumus